

WO
278
C5
B754
1862
RB

WOOD LIBRARY-MUSEUM



OF ANESTHESIOLOGY

~~P. 600~~
1855 collecte
L.P.

206

DE
CHLOROFORMII IN ARTE OBSTETRITIA USU.

35-

DISSESSATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILLEM
AD
SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXI. M. MARTII A. MDCCCLXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
ALEXANDER BRESGEN
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

JOS. RUEGENBERG, MED. ET CHIR. DD.
H. ERNST, MED. ET CHIR. DR.
TH. HOFFMANN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

72w0RE5

WOOD LIBRARY-Archives

Accession no. RB 733

V I R O

CELEBERRIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

A. ELSHOLTZ,

MED. ET CHIR. DOCTORI, MEDICO DIVISIONI EXERCITUS PRAEFECTO, INSTI-
TUTI MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI DIRECTORI, COMPLU-
RIUM ORDINUM EQUITI

PRAECEPTORI AESTUMATISSIMO, FAUTORI
BENIGNISSIMO

NEC MINUS

AVUNCULO CARISSIMO, BENEVOLENTISSIMO

G. RUEGENBERG,

MED. ET. CHIR. DOCTORI, PHYSICO REGIO

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATIQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PRO O E M I U M.

Postquam medici duo Jackson et Morton, Bostonien-ses, anno 1846 aethere invento artem, quam chirurgi jam pridem desideraverant, „jucunde“ sanandi impetraverant, facile intelligi potuit, quum jam Wigan-dius anno 1807 narcosin ad levandos tollendosque partus dolores commendasset, et praeterea inter omnes con-staret, seminam functione medullae spinalis et conscientia plane sublatis naturae solius viribus partum edere posse et in medullae spinalis paralysi uterum inter partum fortiter contrahi, eos quoque, qui arti obstetriciae studerent, remedium illud novum maximo gudio excep-turos esse, ita ut non nisi eo, quod fieri posset, ut narcosi inducta uteri contractiones arcerentur, medici, quominus usu adhiberent, impedirentur.

Experientia, quae sola rem dirimere potuit, a Simp-sone professore Edinensi die undevicesimo Januarii anni 1847 egregio cum eventu confirmata est, cuius exemplum in Anglia professores Londinenses Murphy, Rigby, Protheroe, Smithius, in America Chamming, in Franco-Gallia Fournier, Deschamps, Stoltz, Dubois, Bouvier, in Germania Hammer Mannhemiensis non ita multo post securti sunt.

Initio quidem laudibus tantum haec res extollebatur et omnes eam optimam esse putabant, dein vero primum in Germania voces controversae audiebantur, ubi professor Grenser, Dresdensis, primus illi methodo et rationi repugnavit, et Sieboldius, quod dolores (in spec. contractiones) ad partum delitescere semper videbat, eam in partibus naturalibus adhibendam improbavit.

Illo tempore fama ferebatur alius novi remedii dolores levantis, aetherem eo superantem, quod jucundius adhiberi possit et accuratius citiusque agat, nimirum chloroformii.

Nam quum multae illae, quae cum inhalato aethere conjunctae erant, injucunditates Simpsonem ad investiganda alia anaesthetica compulissent, ille studio assiduo tandem, quod optimum videbatur, invenerat.

Ratione vere erudita, suo ipsius periculo neglecto, ille vir clarissimus prima, quae sibi prorsus persuaderent, experimenta de chloroformio jam a Soubeiran 1831 et a Liebig 1832 invento in se ipso die quarto mensis Novembris a. 1847 instituit.

Eventibus studiorum ejus in lucem editis, aether chloroformio plane depellebatur, quippe quod in Anglia praeter Simpsonem imprimis Rigby, Murphy, Beattie maximopere commendarent, sicuti in Franco-Gallia Dubois, Chailly, Cazeaux et prae ceteris Houzelot et Bernard, in Germania Martin Jenensis, Sachs et Krieger Berolinenses, Harnier Cassellanus, Scanzoni Herbipolitanus maximis laudibus efferrent. At vero quae adversarii narcosis inter partum adhibendae aetheri, haec alii medici

chloroformio exprobaverunt, in quorum numero usque ad nostrum tempus obstetricatores plurimi terrae continentis et multi Angli habendi sunt. Omnino res eo deducta est, ut Britanni atque Americani, quibus Germani in universum assentiuntur, semper chloroformium adhibendum esse statuant, Franco-Galli contra, quamvis alias leviores, plurimi ejus usui repugnant.

Controversia aliquamdiu gravissima fuit eorum, qui commoda animo laetissimo perceperunt et adversariorum, qui metu hujus remedii fortissimi pernicioissimique audacem ejus usum intemperanter condemnarunt, cuius rei exemplum illud Flourensii innotuit: „Quod dolorem tollit, etiam vitam tollit; remedium novum mirum est simul tamen formidulosum.“

Quaestio propria, ut in controversia gravissima fieri solet, neglecta et erroribus, figmentis et perversis judiciis disturbata est, qua causa etiam multi, velut Bouisson et Chailly, commoti haud reputatis experimentorum eventibus contra narcosin sententias tulerunt.

Sensim pace composita, praesertim quum feminae, quarum maxime interfuit, de illis erroribus nihil essent expertae, etiam medici illam adhibendam narcosin compabant, dummodo eam nihil damni afferre sibi persuadeant, quae similis est atque illa in ligatura a Paraeo et in vaccinatione a Jennero adhibita conditio.

Chloroformium quam in universum quamque praeципue in parturientes vim exserat.

Chloroformium, quod, sicut alia anaesthetica, primam vim in eas corporum partes, quae attinguntur,

exhibit, alienorum corporum instar eas incitat et nervorum systema illico afficit, ita ut aliquamdiu nervorum sensiferorum et motoriorum functionem tollat, id quod omnibus experimentis confirmatur.

Sanguinem indirecete nec infici eo neque immutari, Nunneley et Snow experimentis circa animalia institutis atque eo, quod in plures partes secerni non potuit, plane demonstraverunt.

Praeterea eo, quod et a narcosi celeriter recreantur et chloroformium per pulmones eliminatur, illa sententia refutatur, ita ut sanguis, quamvis velociter excipiatur chloroformium in sanguinis circuitum, omnibus experimentis nullo modo commutari videatur; quin adeo, si quidem narcosis non multum penetraverat, ne colore quidem sanguinis venosi arteriarum sanguis afficitur. Sanguis tantum eatenus hic valet, quatenus chloroformium nervorum centris indicat, quae res physiologica non magis Snowii sententia, chloroformium, quod sanguis minus oxygenii excipiat, impedire, quominus acidum carbonicum in pulmonibus oriatur et carbo remaneat, id quod est mortiferum, quam Nunneleyi opinione perversa, chloroformium per nervi vagi ramos pulmonales ad centra nervorum deduci posse — ad liquidum perduota est.

Nervi certo ordine afficiuntur narcosi, primum cerebrum, deinde cerebellum, tum medullae spinalis anteriores et posteriores funiculi, denique pons Varolii, ita ut vis primum in nervis cerebro-spinalibus, deinde in systemate gangliorum, conscientia et motione voluntaria sensibilitateque et reflexoria actione praeter respiratio-

nem sublatis, dum haec quoque postremo desinat, se manifestet.

Organa vegetationi praefecta, quamquam centrum, medulla spinalis, afficitur, haud offenduntur, sed potius ipso eo inde ab initio hebesiunt, motiones continuantur, interdum magno narcosis gradu velut rhythmus peristalticus intestinorum etiam fortiores evadunt, id quod secundum Schiff cordis paralysi efficitur certissimumque signum est exitus lethalis. Similis ratio est uteri, qui se contrahendi facultatem ne summo quidem narcosis gradu ex Simpsonis, Scanzonii, Martini, Strengii, Coatesii, Dubois, aliorum observationibus amittit; de Siebold et Bouvier, qui dicunt, uteri contractiones prorsus suspendi, parum diligenter accurateque observarunt, quippe qui vim remedii non satis pvestigaverint.

Quamquam enim certo constat, decem aut quindecim minutis post coep tas inhalationes elapsis modificationes dilucidas uteri contractionum animadverti, quae et longiore dolorum partus intervallo et diminuta uteri vi manifestentur, hae tamen affectiones narcosi continua brevi tolluntur, ita ut partus naturae viribus sine ullo impedimento majore ad finem perduci possit.

Ante ortam illam exaequationem etiam uteri tonus diminutus est, parietes magis sunt languidi et elastic i, inferius uteri segmentum laxius, praeviae foetus parti parum se applicans, sicut uteri orificio, cuius margines antea acuti erant quodque ipsum durum et firmum erat, laxius fit atque digit i attingentis tractui magis indulget.

Quae res eo minorem admirationem excitare debet,

quod omnes fibras musculares involuntarias difficilius paralysi affici quam musculos voluntarios novimus; quippe quae a nervorum systemate non debito modo sponte contrahi possint, id quod etiam recentiore aetate experimentis mirificis, quae Tyler Smith in cuniculis gravidis instituit, confirmatum est, ita ut, uterum etiam tum, quum cor et intestina moveri desierint, contrahi, functionem autem ejus systemate nervorum sicut respirationis spinali demum extingui, optimo jure dicere possis.

Etiam, quae interdum evenit, foetum **ex utero** et vagina matris mortuae expulsio haec comprobat.

Quid singulari quovis ordine symptomata chloroformii narcosi efficiant singulorum hominum aetate, natura et temperamento maxime discrepat; et ordo quidem symptomatum in partibus idem est ac in operationibus chirurgicis.

Etenim si chloroformium paullatim inhalatur, ita quidem, ut satis aëris accedere possit — quibus causis, ut dosibus exiguis, Martinus Berolinensis eventus suos opportunissimos assignat — primum sensibilitas universa, imprimis partus dolor, incolumi conscientia, minuitur, ita ut femina summopere levata se „in coelo esse“ credat et, ut ait Beattie, se doloribus affectam esse haud quidem ignoret, minime tamen laboret. Tum contractiones uteri longioribus intervallis plerumque interrumpuntur, mox autem augentur et rite procedunt.

Intervallis illis dolorum parturiens femina tranquilla redditur et sensus, qui adesse solebat, doloris abiit.

Sentit quidem, quotiescumque dolores renovantur,

quos ejulando, retrorsum urgendo, hue illuc corpus jactando indicat, inquies tamen et dolor recens, si hoc tempore aliquid inhalat, tolluntur, quo sit, ut chloroformium per longum tempus adhiberi queat. Verum etiam hic discrepantiae symptomatum a norma pro natura et temperamento uniuscujusque, velut excitatio, alienatio psychicae actionis, occurunt, quae varietates magnam partem fastidio inhalationum debentur, quamquam etiam sine eo existunt, si dosis aliquanto major in usum vocata est. Quae si ita se habent, seminam narcosi tota afficere praestat, quae postea inhalationibus rarius factis minuenda est.

Inter hanc exaltationem parturientes ex quoque dolore clamant impatientes, quamquam post partum memoriam ejus nullam habent, ita ut Scanzonii sententia, feminas dolorum sensum percipere, probari nulla modo possit.

Nam affectus sensum quidem, nunquam autem conscientiam attingit, quum cerebrum primum chloroformii efficacitati submittatur; medulla oblongata quidem postremo afficitur, qua re ejus affectiones, quae foris accedunt, actionem excitare possunt, quae nobis illo modo cognoscitur, quum exclamatio secundum physiologiam experimentalem medullae oblongatae actione sola etiam efficiatur. Exclamatione aliisque dolorum signis perceptio affectuum conscientia conjici non debet, quippe quae signa etiam in operationibus chirurgicis cultro non imposito videamus.

Si gradus primus inhalationibus fortioribus exceditur, pro anaesthesia plana narcosis, itaque gradus secundus

existit, quem transitum interdum etiam exaltatio quae-dam comitatur.

Secundo gradu facultates conscientiae motusque voluntarii prorsus cesserunt, feminae somno gravi opprimuntur.

Dolores ad partum speciatim contractiones reflexoria actione uteri minuta retardantur, vim autem suam, quum uterus ipse potissimum nervo sympathico gubernetur, recuperant. Musculi abdominis et diaphragma actione sua rite funguntur, sane quidem tempore modo dolorum partus, etenim non eo solum, quod actio eorum respiratoria, sed etiam reflexoria non prorsus sublata est, actionem exercere possunt.

Si narcosis altius penetrat, actio nervorum cerebro spinalium prorsus desinit, et uterus non nisi nervo sympathico gubernatur ac regitur tertiusque gradus intravit, quo semina sopore gravissimo detenta in affectus externos prorsus non reagit, doloresque partus rari et exigui sunt.

Manus tantum si in uterum propter operationem aliquam inseratur hoc in gradu necesse est, quum primus aut secundus gradus et in partibus quidem, qui ex norma fiunt, primus sufficiat.

Primo gradu narcosis vis ad uteri contractiones nulla adhibetur, quoniam intervallum initio inhalationum unius aut duarum minutarum respici non necesse est. Gradu secundo quidem uteri contractiones paulo leviores fiunt et nonnunquam intervallum quinque aut decem minutarum intercedit, postea autem, vel continuatis inhalationibus, tam fortes quam antea fiunt.

Tertio gradu contractiones uteri ipso utero languescente revera remittuntur, desinentibus autem inhalationibus protinus redeunt. Quam narcosis in uteri contractiones efficacitatem obstetricatores occupatissimi, ut Simpson, Beattie, Rigby, Murphy, Dubois, Chailly, Houzelot, Martin, Sachse, Harnier, Krieger, Spiegelberg, observarunt, contra Stoltz uteri contractiones coeptis inhalationibus augeri, Scanzioni per tempus aliquod remitti, mox autem redire, Grenser, Siebold, Bouvier, Montgomery, Denham semper minui, quin interdum plane desinere, ut non redirent ante suspensas inhalationes, se observasse perhibent.

Observationes autem eorum, quos postremo attuli, virorum rarae et in excitante agentis rei in aliud efficacitate, id quod nonnunquam etiam in operationibus chirurgicis videmus, collocandae sunt; praeterea multarum mulierum angor et metus dolorum partus tantus est, ut ipso eo contractionum uteri actio intermittatur, quae demum chloroformii inhalationibus rursus augetur.

Tantummodo si narcosis debito ulterius progreditur, id quod a Grensero, Sieboldio, Bouviero observatam est, contractiones rariores minusque fortes fiunt, minime autem si chloroformium non nisi ad primum usque gradum, id est ad anaesthesiam adhibetur, quo gradu, quod Martin, Krieger, Chailly, Honoré, Spiegelberg, alii censem, neque matri neque foetui periculum infertur et contractiones uteri nulla ratione labefactantur, parturiens potius diminuto dolore inter partum in situ multo opportuniore collocatur ab eaque affectiones gra-

vissimae saepe removentur, puerperium autem complicationibus liberatur atque restitutio maturari potest.

Modum anaesthesiae debitum non excedere, minime est facile, quum studium, quomodo chloroformium agat et adhibeatur, diligens requiratur.

Quamquam, quae a Scanzoni observata est, contractionum uteri per tempus aliquod retardatio, ea quidem, ut mox ad normam illae redeant, negari non potest, tamen ambiguum est, utrum haec res chloroformii an potius animi, quae maxime affliguntur, viribus adscribenda sit. Actio abdominalium muscularum et diaphragmatis primo gradu affecta non est, femina inter magnam contractionem uteri simul urget; secundo gradu musculi abdominis et diaphragma, quamquam muscularum actiones voluntariorum desinunt, tamen, dum reflexoria actio servata est, adjuvant.

Telae vaginae et perinaei contractiles relaxantur, qua tamen re genitalium externorum et perinaei resistentia — id quod Scanzonii et Kriegeri observationibus repugnat — prorsus non tollitur, quippe quae aponeurosis et textibus cellulosis sustentetur; atque, etiamsi anaesthesia earum resistantiam gravius impedit, elasticitatem augere nequit, sed aponeuroses aequae atque in partibus sine chloroformio sensim extendi debent.

Quod si non sit, aut loci conditiones iniquae sunt, anaesthesia fissuræ perinaei facillime supervenire possunt, quae, ut parum observentur, eapropter sit, quod ob parturientium quietem minime cum vehementia urgantium, et propter foetalis capitis successivam progres-

sionem perinaeo plus temporis, ut elasticitatem suam plane explicet, conceditur.

Ad narcosin prorsus conficiendam parturientes majores doses quam validi et aegroti in operationibus chirurgicis requirunt, quae causa primum in eo, quod inhalationes contractionibus saepius interrumpuntur, tum in animi excitatione, quae potissimum in posteriore partus periodo nunquam fere deest, deinde etiam in hydraemica sanguinis mixtione, quae in graviditate oriri solet, collocanda est, in qua nervorum systema gravidarum, parturientium et puerperarum similiter ac chlorotiarum et hysteriarum mulierum medicamentorum quorundam (opii etc.) effectui omnino favere non videtur.

Quod chloroformium gravidis non nocet, Scanzoni statui systematis vasorum nervorumque gravidarum singulari adsignat; quum enim omnino casus lethalis, qui in praxi chirurgica non raro accidere solet, in arte obstetricia nullus fere auditus sit, tum etiam multa, quae alioquin saepissime insequuntur, incommoda, velut temulentia capitis, deliria, convulsiones, vomitus, apud puereras ne in diutissima quidem narcosi ob diurnas operationes adhibita observatae sunt, siquidem, id quod Martin recte dicit, somnus, qui narcosin sequi solet et quo eliminatio chloroformii e sanguine fieri videtur, non conturbatur.

Haemorrhagias autem chloroformium efficere Martin aliique non observarunt, potius uterum certis temporibus contrahi. De optima narcosis in inflammaciones aliquas insequentes vi omnes obstetricatores clarissimi

cum Stromeiero consentiunt, nec quisquam est, qui chloroformium in foetum vim nocentem ullam exserere dicat.

Potestne chloroformium in arte obstetricitia adhiberi?

Quamquam recentissimo tempore, quum et fautores et adversarii mediocritatem teneant, chloroformium in arte obstetricitia magis quam prius adhibetur, tamen, rei peritis valde discrepantibus, quum alii tamquam solamen nulli parturienti denegandum commendent, alii hoc plane contemnant, homini non satis gnaro profecto difficile est, id recte dijudicare.

Certe igitur operae pretium est, causas, quas et theologi et jurisconsulti et medici contra afferunt, ut videamus, utri sententiae assentiamur, paulo accuratius illustrare.

Quum Simpson anno 1847 vix proposuisset, ut chloroformium in partibus naturalibus adhiberetur, quo proposito mulieres valde gavisae sunt, homines fanatici, innixi librorum sacrorum effato „cum doloribus liberi tibi edendi erunt,“ multis verbis obnitebantur, injuriam arbitrati, feminis dolorem, qui conditio pariendi necessaria sit, removere.

Quae sententia ridicula quum ultimum quasi refugium prorsus non defendi possit, tum etiam Simpson contra professorem Meigium Philadelphiensem, qui ei repugnaverat, partus dolores plus quam solos pariendi dolores significare, clare docuit. Similia opprobria unicuique inventioni inferuntur, velut Rowleyus illa praeclera Jenneri inventione audita exclamavit: „Variolae, inquit,

a deo immittuntur in homineque oriuntur, vaccinatio autem ab improbis profertur et profanatio est.“

Alii dolores putant esse physiologicos, quam ob rem iis oppressis jura naturae restringantur; tamen dolores proprios et contractiones uteri prorsus disjungi oportet, quorum hae ad partum feliciter finiendum necessario requiruntur, non autem cum doloribus conjunctae sint necesse est, id quod Maurorum et Indorum mulieres, quae facile propeque sine doloribus partum edunt, satis argumentantur.

Ergo pulcherrimo nostro privilegio, dolores leniendi, quum in aliis casibus morbos tum hic utamur, quod improbitatis opprobrium, quum in medicum minime cadat, cuius prima lex ea est, ut adjuvet et dolores demulcent, nec minus usus et experientia atque judicium non praeconceptum aequa atque Capuronis et medicorum academiae Bruxellanae opprobrium reprobant, qui abortum arte efficere improbi esse dixerunt.

Non minus ridicula sententia, quamquam non omnino perversa, illa est, quae dolores in partibus naturalibus leniri non esse necesse statuit, quum permulti partus ante adhibitam anaesthesian bene feliciterque processerint, contra quam sententiam Simpson „Eodem jure“, inquit, „cuiusque inventionis usus improbari potest, qua labores corporis humani leviores perfectioresque fiunt, quin ne vehendum quidem est curru homini, quoniam pedes ad eundum acceptos habeat cet.“

Ceterum quod de lethiferis casibus, qui chloroformio adhibito effecti sint, clamant, id modum longe excedit, quum in arte obstetricia, praeterea quod doctore Dun-

can auctore totidem lethales casus ante quam post chloroformium adhibitum acciderint, ex' decem millibus una tantum femina mortem obire soleat, qua ratione nobis nullo modo remedium illud repudiare licet, quum etiam omnia, quae violentius agunt, remedia abjicienda essent.

Fieri quidem potest, ut feminae prohibitis doloribus vitae periculum subeant, quum mors, ne dicam de malis jussis et negligentia, etiam respiratione deficiente, nimis diu continuatis inhalationibus, aut chloroformio nimium accumulato, aut paralysi cordis, etiamsi mediocriter respiret femina et inhalationes suspendantur, effici possit, si quidem respiratio tenuior est quam quae chloroformium largius accumulatum ex pulmonibus depellere possit, ita ut cor chloroformio accumulato paralysi afficiatur.

Mors secundum Schneideri experimenta ex eo, quod chloroformium in acidum hydrocyanicum transeat, secundum Hartmanni observationes ex idiosyncrasia profluit.

Quod tamen attentione et effectus chloroformii cognitione, nec tamen narcosi ad tantum gradum, qui nunquam fere in arte obstetricia necessarius est, evecta, nec chloroformio adeo cumulato, impediri potest. Praeterea nemo, qui vim hujus remedii novit et symptomatum periculorumque cum partu conjuncrorum peritus est, dummodo simplex, verus et erroribus liber sit, omnes, qui occurrunt, casus adversos chloroformio adscribet, quum omnino nobis cavendum sit ab eo, quod in proverbio est:

„post hoc ergo propter hoc“,

quoniam non omnes lethiferi casus, qui inter aut paulo post narcosin eveniunt, illi agenti adscribi debent, non minus autem, ne mortis causam in respirationis et circulationis morbis colloquemus, quum vel in talibus morbis inhalationes bene saepe sustineantur. Ergo propterea, quod talis eventus funestus evenire potest, nos, id quod obstetricatores Franco-Gallici suadent, remedium non prorsus abjicere, sed, quamnam vim habeat, accurate explorare, de eo bene custodire, curam debitam impendere debemus, quibus conditionibus neque matri neque foetui pericula aut damna imminebunt, siquidem Huet-teri sententia, chloroformium in foetus sanguinem transire et Duboisii observatio, ictum cordis foetalis per matris narcosin maturari, et Snowii, neonatum ea, quae extra sint, parum sentire posse, confirmari non possint. Uteri contractiones eo non tolli, jam supra satis probatum est, neque tamen chloroformium inflammations, febrem puerperalem, convulsiones et paralyses efficere, experientia docuit; imo a pluribus viris gravissimis, ut Krieger, Bernhard, Martin, aliis, praeter quod illi casus etiam 'sine chloroformio fiant, puerperium multo felicius absolvit observatum est.

Non magis experientia metum, ne chloroformium eclampsiam et maniam adducat, confirmavit, quod potius remedium eclampsiae optimum a Channing, Kiwisch, Scanzoni, Braun, Martin, Spiegelberg, Krieger, aliis commendatur.

Etiam quod Scanzoni pluresque obstetricatores Franco-Gallici timebant, ne chloroformium suspensis aut debilitatis uteri contractionibus haemorrhagias statim post

partum inducat, experientia et usu minime comprobatum est, quum Simpson, Beattie aliisque etiam inter placentam praeviā sine ullo periculo illud adhibuerint.

Vel incommoda effectus chloroformii exigua, velut cephalaea, vomitūtio, vomitus, celeriter removentur et pro operationibus chirurgicis multo rariores inveniuntur.

Ex omnibus his plurima, quae afferuntur, pericula chloroformii, quibus studium adversariorum, ut ita dicam, tabulam terribilem exornat, a chloroformio minime pendere, satis intelligitur.

Spiegelberg „Forte hoc, inquit“, remedium, cuius vis nondum satis cognita est, multos invenisse adversarios, manifestum est, et aeque innumerabilia pericula ejus adhibiti dicuntur esse multaque opprobria ei facta sunt, quae omnia fere ex falsis factis, causis atque erroribus originem ducunt, quoniam fando audisse plus valet, quam expertum esse. Quaestionem, quae de factis agitur, non nisi experientia dijudicare potest, nam ingeniosissima adeo disputatio tempus et verba perdit; eadem est ratio quaestionum therapeutarum, semperque ii sunt adversarii gravissimi, qui remedium nunquam adhibuerunt, quale sit, parum intelligunt et tamen certum judicium ferunt.

Contra chloroformii utilitas et in partu et in puerperio, id quod gravissimi quique obstetricatores concedunt, tanta est damnaque adeo superat, ut illud sine ullo metu adhibere non modo possimus, sed etiam officio obstringamus. Quum enim vis in feminarum valeditudinem aut nulla sit aut benigna, quod impedita ex-

citatione nervorum, qua viribus parcitur, mulieres admodum corroboratae puerperium ineunt inflammationsque multo rarius quam chloroformio neglecto sequuntur, adhibito chloroformio septuplo plures quam antea foetus vivos in luce medi ex Murphyi et Kriegeri tabulis cognoscitur.

Indicationes.

Quamquam et propugnatores et adversarii hoc tempore mediocritatem tenent, tamen etiamnum pars major chloroformium in partibus naturalibus ad tollendos levandosve dolores adhibere recusat, velut jam de Siebold et Scanzoni, ut hoc in universum adhiberent, a se impetrare non potuerunt, timentes, ne uteri contractiones desinerent, aut tempore partus irruerent haemorrhagiae, quae secalis cornuti ope ob noxiā in matrem et foetum efficacitatem non facile tolluntur; hunc autem metum experientia non confirmavit. Causa, quod Simpsonem et Kriegerum pauciores sequuntur, partim in eo collocanda est, quod, narcosin inter partum adhiberi posse, plurimis nondum satis notum est, partim in eo, quod medici parturientes mulieres laborantes videre consueverunt et idcirco tantummodo doloribus modum excedentibus ad eos sublevandos impelluntur.

Attamen etiam hic narcosis non contempnenda est, nisi forte partus praecipitatur doloresque exigui sunt, ita ut parturientium nihil intersit, utrum dolor removatur nec ne; sin vero mulier vehementer flagitat, non est, quod ei recusetur chloroformium.

In praxi privata narcosi inter partus prorsus natura-

les adhibendae error ille obstet, quod, si paturiens aut neonatus forte postea aegrotat, hoc narcosi imputatur. Si narcosis usus magis divulgatus erit, ille metus certe evanescet, quod quidem temporibus nostris procul abesse videtur.

Si de Simpsonis eventibus prosperis comperimus, qui chloroformio singulis contractionibus appropinquantibus parcus dato non plenam anaesthesiam, sed tantummodo imminutionem doloris adducit, jure mirum nobis videtur, medicos non maximo studio hoc exemplum imitatos esse. Quum enim dolorem tantum lenimus, quod a medico etiam malum habetur, magnam et laetam parturientis quietem et animi et corporis consequimur.

Nunquam autem primus anaesthesia gradus excedi debet.

Per Traversium scimus, quam vehementem vim dolores graves in statum corporis exserant, et periti obstetricatores pericula inanitionis doloribus effectae, retardationem recreationis, auctam ad infectiones praedispotionem haud ignorant.

Quae dolorum vis exauriens imprimis apud primiparas teneras, quae ex nobiliore genere ortae sunt quaque muscularum laboribus non adsueverunt, praesertim si aetate provectae sunt et partus genitalium molium soliditate retardatur, cerni solet.

Inter partum, quominus mulier simul urgeat, id quod molestum saepeque damniferum est, et huc et illuc jactetur, impeditur, atque ad accuratiorem diagnosin constituendam confert, sicut de rebus quibusdum,

quas aliter tantummodo magnis doloribus magna que molestia comperire licet, facilius certiores reddi possumus. Primiparae autem, si iis partus dolorum expers et conditionibus ceteris paribus facilis praenuntiari potest, non cum angore, sed fiducia et quiete partum exspectant, qua re valetudo earum graviditatis tempore augetur.

Spiegelberg, inquit, ex officii judicio, cuius est dolores lenire et curae suac mandatis pro tempore gravissimo securitatem quandam dare, medicus agit, si parturientibus anaesthesia commendat.

Etiam majora commoda adipiscimur nimia in sensibilitate, quam apud feminas sensibilies nobili genere ortas aut tamquam consecutionem organorum sensuum aegrotorum, velut endometritidis, exitus vaginalis irritati aut officii uteri rigidissimi, crebro observamus, quibus casibus etiam eclampptici insultus accenseri possunt, ubi re vera chloroformium contractiones uteri corroborat partumque accelerat, quum exiguis inhalationibus sensibilitate imminuta debilitatio et anomalia contractionum ad normam redigatur. In his tamen casibus teste Martino etiam illa, quae aliter adhibentur, remedia, rad. Ipecac., tart. stib. pulv. Doweri, alia praeter narcosin ex usu sunt.

Contractiones praeccipitatae chloroformium haud dubie flagitant, quum narcosi damna, quae magna e nervorum et vasorum systematis excitatione et doloribus vehementissimis matri et foetui imminent, citissime et optime tollantur.

Huc etiam praematuraे uteri contractiones pertinent,

quum ad cavendum abortum imminentem aut partum praematurum chloroformium adhibeatur necesse sit, id quod Scanzonius eventibus pulcherrimis confirmavit, siquidem abortus eo, quod vasa cum interiore uteri superficie ovum conjungentia disjunguntur, aut praematuris uteri contractionibus et traumatibus effectus erat.

Kaufmann ea, quae dolores spasticos sequuntur, atque chloroformii vim egregie sic describit:

„Quoties in primiparis noctes et dies praeterlabentes videmus, priusquam prima aut secunda partus periodus finita sit, quum dolores spastici aut rigiditas orificii uteri, quominus hoc aperiatur, obstent et doloribus et laboribus frustra susceptis atque turbata nocturna quiete parturientis vires sensim paullatimque exhaustantur.“ „Interdum quidem therapia usitata dolores vehementes leniuntur et impedimenta dynamica tolluntur, saepe tamen eventum videmus nullum, donec post multas horas magnamque inanitionem tandem partus melius procedit. Quoties autem non nisi animi vis, qua opus est, deficit, contractiones delitescunt, vires prorsus labant, ita ut ad levandum servandumque foetum demum necessitate cogamur, ut partus finem artis auxilio faciamus. Processus, qualis in personis teneris et sensibilibus saepe evenit, vim suam in puerperium exhibet, imo in ejusmodi casibus chloroformium usui maximo est, quippe quo dolores diuturni et vexantes removeantur, conditiones organi parturitionis spasticae tollantur, corporis vires serventur et una ex causis artis adhibendas creberrimis dematur.“

Idem ad stricturas uteri spasticas valet, praesertim si orificium uteri externum spasco conclusum est, in quibus tamen in periodo secundinarum periculorum, quae fieri possunt, causae providendum est. In uteri tetano non modo, ut dolorem, qui operatione aliqua oriatur, parturienti sublevemus, sed etiam ut illam nobis faciliorem et matri foetuique minus periculosam reddamus, narcosis omnino indicatur. Hic tamen interdum in ipso secundo aut tertio narcosis gradu mulier non adeo languescit, ut situ obliquo foetus neglecto versio fieri possit.

Quum Pierry in ipsa eclampsia chloroformium minime adhiberi voluerit, nunc ab omnibus obstetricatoribus clarissimis narcosis remedium summum commendatur, quod, etiamsi interdum fallat, tamen insultus certissime aut sustinet aut minuit aut prorsus aufert; quin inducta narcosi prognosis et matri et foetui multo laetior facta est, quum ad cerebrum congestiones perniciose non anaestheticis, sed potius ipsis convulsinibus oriantur.

Haec etiam pericula eclampsiae, quae pro numero et vehementia paroxysmorum augentur, minuit atque quominus oedema pulmonum perniciosum, ex disturbance sanguinis circulationis oriens, extendatur impedit, et dum contractiones uteri proficiunt si forte partus retardatur, priusquam ad artem confugiamus, apta ad juvandum partum remedia adhibere nos patitur.

Optime tum, quum insultus appropinquat, ubi inquiete et respiratione impedita non turbamur, inhalationes incipimus; narcosis autem ipsa hic saepe per

horas multas, quamquam interrupta, priusquam eventum habet, sustendanda est. Quod Meigius aliique objiciunt, dolorum sensum et ostentationem mulieris parturientis optimos esse duces in operationibus, nonnisi ignorantiam involvit, quum hic potius nostra anatomiae topographicae scientia et accuratissima operationum perficiendarum atque periculorum eas excipientium notitia duces esse debeant.

Praeterquam quod angor et dolores sublevantur et eventus meliores obtinentur et operationes ipsae multo facilius perficiuntur, in nonnullis etiam casibus operatio-
nis pericula in versione, aut si secundinae, id quod stri-
ctura vel conjunctione fibrosa indicatur, tolluntur, chlo-
roformii ope recta via minuuntur.

Vel in haemorrhagiis, quum operationes hic neces-
sariae: extractio secundinarum, versio, forcipis applicatio
multo facilius et citius per anaesthesia peragantur,
narcosis commendanda est.

Tum etiam, quum propter periculum maximum tem-
pori parere cogimur, chloroformium adhibendum est,
quod in parturiente haemorrhagiis profusis laborante nar-
cosis celerrime oriri solet et operatio, dum chloroformium
applicatur, incipi jam potest. Porro certe maximi mo-
menti est, ut a persona profusione sanguinis debilitata
suscepta operatione arceamus dolorem, quae debilitas in ejusmodi casibus magna exitus lethalis causâ non raro
est. Metus, ne narcosis symptomata haemorrhagiae in-
ternae et diurnae signa occultet, tollitur, si his sub
conditionibus attentio accuratissima omni, quocunque
haemorrhagiae simile est, symptomati impeditur. In
operationibus quidem, in quibus forcipe utimur, chlo-

reformium vim aequa manifestam ipsamque operationem sublevantem non ostendit, etiam hic tamen saluberimum est, quum tempori et viribus parcat quibuslibet causis, ita ut nunquam negligendum sit, nisi forte causae singulares vetant, praesertim si inter narcosin, quam hic altius penetrare necesse non est, tractiones dolorem excitant, qui incitamento contractiones efficit.

In extractione partus cum clunibus praeviis propterea, quod metuendum est, ne contractiones uteri debilitatae etiam augentur, chloroformium modo tum adhibendum est, quum acceleratione partus indicata orificio uteri nondum prorsus apertum est, nec satis cedit, aut loci rationes angustiis coactae sunt, in quibus operationes tum graviorem in corpus vim exserunt, tum doloribus magnis conjunctae sunt atque evolutio capitis ope forcipis nondum fieri potest.

Apud versionem in pedes narcosis et manus inductionem et pedis prehensionem et inversionem foetus sublevat, atque Martin sibi narcosi et in ipso parturientis situ laterali versionem in pedes semper prospere cessisse dicit, etiam in iis casibus, quibus plures alii obstetricatores jam ex pluribus horis desperantes embryotomiam postulaverant. In perforatione, cephalotripsia et embryotomy, partim ut parturienti affligentem animi affectionem, ex illis actionibus necessario profluentem, et adspectum cadaveris postea in lucem editi mutilatique subducamus, partim ut insequentem foetus dissecti extractionem, quae saepe difficultis est, faciliorem reddamus, narcosis semper adhibenda est, sicut tum etiam,

quum aliqua operativa actio gravior et dolorifica suscipitur.

Sectione caesarea narcosin indicari sponte apparet, in qua operatione ipsi prosperrimi eventus temporibus recentioribus chloroformio assignandi sunt, quippe quod pericula sectionis caesareae gravissima, collapsum et peritonitidem, tollat. Quorum prior magna laesione nervorum systematis, doloribus, afflito mulieris per totam operationem animo inducitur, quae mala quominus aliquam habeant vim adversam, chloroformio, quo neque perceptio rerum externarum fieri potest et operatio citius finitur, prorsus aut magnam quidem partem impeditur. Periculum insequentis peritonitidis, quod imprimis prolapsu intestinalium efficitur, narcosi multum minuitur. Nam intestina non ultiro, sed motibus integumentorum abdominis et fortiore exspiratione, potissimum clamando, prolabuntur, narcosi autem altius penetrante curandae mulieres neque clamant, neque moventur, neque abdominis integumenta exspirationi inserviunt, quum parturiens non nisi diaphragmatis ope spiret, ita ut intestina aut nunquam aut rarissime quidem probabantur.

Contraindicationes.

Quum omnino chloroformium maxima cum diligentia accuratissimaque parturientium cura adhiberi debeat, in quibusdam conditionibus morbosis, velut cordis et pulmonum morbis, inflammatorie cerebri affectionibus, plethora feminae ad apoplexiā opportunae, dispositione

ad haemorrhagias, omnino nimia sensibilitate et incitatione, usus chloroformii prorsus repudiandus est.

Etiā in vehementē haemorrhagia retentioneque placentae a narcosi abstinendum est, quūm ea ad gradum debito altiore evehatur necesse foret ad manū inserendam, ita ut signa anaemiacē et haemorrhagiacē a signis narcosis gravioris internosci non possent.

V I T A.

Natus sum Alexander Bresgen, fidei catholicae addictus, anno h. s. XXXVIII die XII mensis Februarii Bonnae, patre Maximiliano, matre Christina e gente Drimborn, quos parentes vivos salvosque per longum adhuc tempus Deus mihi servet.

Litterarum elementis imbutus primum gymnasium Monasterii ad Eifliam sub auspiciis Cel. Katzfey per sex annos deinde gymnasium Herfordiense sub auspiciis Cel. Schmidt, optime de me meritis, per tres annos frequentavi.

Tempore paschali anni MDCCCLVIII testimonio matritatis instructus ab Ill. C. G. Mitscherlich, decano spectatissimo, inter cives academie medico-chirurgicae regiae militaris receptus sum.

Per quadriennium lectionibus interfui philosophicis et medicis atque scholis clinicis horum virorum:

Cel. de Baerensprung de morbis syphiliticis, de morbis cutaneis; Cel. Boehm de aciurgia, de tenotomia, de morbis dentium; Ill. Braun de botanice; Ill. Casper de medicina forensi; Ill. Dove de physice; Ill. du Bois-Reymond de physiologia; Cel. Ebert de morbis infantium; Exp. Elsholtz de delectu tironum, de morbis simulatis ac dissimulatis; Exp. Erhard de Otiatrice; Ill. Jüngken de chirurgia generali et speciali, de laesionibus corporis humani; Cel. Lauer de semiotice, de therapia generali; Ill. C. G. Mitscherlich de materia medica, de medicamentis excitantibus; Ill. E. Mitscher-

lich de chemia anorganica et organica, de pharmacia; Exp. Jos. Meyer de pathologia et therapia speciali; Exp. Lieberkuehn de osteologia, de syndesmologia; Ill. Reichert de histologia, de historia evolutionis et generationis, de anatomia comparata, de anatomia humana, de anatomia organorum sensum, de embryologia; Cel. Remak de Electro-therapia; Cel. Schoeller de arte obstetricia; Ill. Schultz-Schulzenstein de encyclopaedia medica; Exp. Sonnen-schein de chemia forensi; Cel. Traube de auscultatione et percussione; Ill. Virchow de anatomia pathologica, de pathologia generali, de tumoribus, de morbis congenitis; Cel. Troschel de fracturis et luxationibus; Ill. Peters de Zoolo-gia; Ill. G. Rose de mineralogia; Cel. Werder de logice, de psychologia.

In exercitationibus practicis duces mihi fuerunt:

Cel. Boehm in operationibus chirurgicis et ophthalmiatricis; Ill. Casper in rebus medico-forensibus; Ill. Reichert in arte cadaverum rite secandorum, in exercitationibus anatomicis; Cel. Schoeller in operationibus obstetriciis; Cel. Traube in auscultando et percutiendo; Cel. Troschel in fasciis lege artis applicandis.

Scholis clinicis interfui medicis Ill. Frerichs, Ill. Romberg, Cel. Traube, Cel. Ebert; chirurgicis Ill. Juengken; obstetriciis Cel. Schoeller; morborum et cutaneorum et syphiliticorum Cel. de Baerensprung.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas ago semperque habebo.

Jam tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut hac dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

T H E S S.

1. Nodi haemorrhoidales longe optime per ferrum can-dens removentur.
 2. Homoeopathia multum profuit, multum nocuit.
 3. Partum vivum perforare licet.
 4. Praeterictum cordis foetalis cuncta graviditatis signa fallacia.
 5. Inter homines propinqua cognatione junctos nuptiae vim vitalem comminuant.
 6. Errant, qui in syphilide secundaria hydrargyrum dicunt necessarium.
-

